

per Φ quoque propagatum. ipse Φ saeculi XII vel adeo XI librum praebet iuxta M minime spernendum; in scholiis unus ad M accedit, sed prae sua doctrina amplissima quaeque et antiquissima scholia sprexit et pleraque ad arbitrium mutavit et amplificavit.

Utinam tertium quod praeter M et Φ fuisse colligitur archetypi apographon satis certo restituere liceret. quod alii fortasse efficient, quibus antiquiora saeculo XIV exempla repperire contigerit. nam recentiores quidem libri permulti sunt, sed nec eos quorum excerpta apud Hermannum prostant, nec Venetos Florentinos Ambrosianos quos inspexi, nec Romanos, quorum excerpta G. Pasquali, aut Parisinos, quorum excerpta A. Wolff comiter commodarunt, utiles omnino esse cognovi, aut certe nihil probi eis contineri opinatus sum, quin ei offerrent quos selegeram. quamquam Venetus 470, Florentinus *conventi soppressi* 7 (anni 1344) fortasse Romano meo deteriores non sunt. sed omnes facile vincit quem eodem loco habui atque P et A

Q. Parisinus 2884, Par. A Brunckii, cui signum dedi quod in Theocrito fert, ibi quoque minime contemnendus. scriptum se esse fatetur anno 1299, placentque docti scribae litterae aequabiles et rotundae. scholia insunt pauca (ut in Theocrito), glossae minio pictae lectuque in imagine photographica, qua usus sum, difficiles, sed exiguus eorum usus est praeter varias lectiones, quas scriba partim atramento partim minio exaravit. ceterum non magis quam in P definire licet, quas lectiones ex exemplo suo, quas aliunde petiverit.

L. Laurentianus 32, 2 saec. XIV ineuntis. quem qui composuit, ingenti volumine quotquot nancisci poterat tragoedias comprehendit, de Euripide egregie meritus. quem librum, cum adulescens in eo conferendo et a crimine interpolatae memoriae defendendo multos menses consumpsissem, etiam in Aeschilo conferre imprimis concupivi. sed spes fefellit. ultimam enim triadem Aeschyleam (Persarum aliquot folia interierunt) exaravit scriba properante et titubante calamo, nec aut ipse aut alius unquam extitit qui peccata corrigeret. itaque vitia singularia multa quae excerpseram omisi. contuli librum Florentiae, haud paucos autem locos et in hoc et in F mea gratia recognovit H. Wegehaupt. textus maxime cognatus est cum F, sed caret Thomanis illius libri elementis.

R. Vaticanus Graecus 57, saeculi XIV, exeuntis, opinor, nec nitide nec accurate scriptus, itaque ne huius quidem propria vitia omnia proposui. propriis virtutibus caret, itaque exemplum sit codicum gregariorum. utor imagine photographica.